

15
DISPUTATIO THEOLOGICA,

De
PRECATIONE ET IEIUNIO,

Ex loco

Matth. xvii. v. xxi.

SUB PRÆSIDIO

Reverendi & clarissimi viri,

DN. RAPHAELIS EGLINI
ICONII, TIGURINI,

S. Theologiæ D. & Professoris Ordinarii, DN. &
Præceptoris venerandi,

IN ILLUSTRİ, SEMPERQUE FLO-
RENTI ACADEMIA MAURITIANA MAR-
purgi publicè instituta,

Respondente,

JOANNE RODOLPHO STAHELIO,
TIGURINO.



MARPURGI CATTORUM

Ex Officinâ Kezelianâ.

M. DC. IX.



Generosâ Nobilitate Splendidissimis, Magnificen-
tissimisque Dominis,

DN. JOANNI IACOBO,
ET DN. DN.

JOANNI ET WOLFGANGO-
THEODORICIS,

Ab
HOHEN ET BREITEN-LANDEN-
BERG, &c.

Dominis, Mæcenatibus, & Tutoribus meis omni
pietate perpetuò colendis,

Hæc, ἡς οὐδέποτε καὶ ἀεὶ ποιεῖτε καὶ

DE
PRECATIONE ET JEJUNIO,

THEOLOGICAS

*permissu Dn. Præsidis,
humiliter dicat,
consecratque,*

RESPONDENS.



DISPUTATIO THEOLOGICA
de
PRECATIONE ET IEJUNIO.

EX LOCO
Matth. xvii. v. xxi.

I.

Pietatem ad omnia esse utilem pronuntiat Apostolus, quia promissionem habet præsens & futuræ vitæ, 1. Timoth. 4. vers. 8. Quod enim est eiusmodi, ut Dei nitatur promissione quoad præsens & futuram vitam, id necessariò ad omnia est utile, axiomate nulli non evidenti necessitate probato. Atqui pietas est eiusmodi, utpote quæ in fœdus divinæ gratiæ cum Patre credentium jam olim sancitum intuens, tota in Deo, qui est EL SCHADAI noster & copia cornu recumbit: integrè coram eo nos ambulare re ipsa docens, hoc est vera obedientia fidei eius præscripto nos subiciens. Ex quo evidenti & immutabili rerum necessitate sequitur, Pietatem ad omnia esse utilem, vera demonstratione διότι, ac terminis ubique inter se reciprocantibus.

2. Sicut verò Pietas est *ἀρετὴ καλὴ διανοίας* bonæ doctrinæ fidei, cuius expressum est exemplar, & vivum exercitium, ibidem vers. 6. & 7. Ita præcipuum totius Christianæ pietatis opus cōmune omnibus est Vera Numinis & Nominis Divini invocatio: quæ quò ardentior

fit, magisque cœlos penetret, ex vera fiducia cordis
protecta, non solum perperua vitæ continentia & tē-
perantia, sed etiam pro temporum & rerum circum-
stantiis, præsertim in gravioribus casibus, jejunio
Christiano, non Pharisaico, est acuenda: Unde Do-
minus in loco proposito, non solum incredulitatem
discipulorū, eū Lunaticus eis offerret, in causa fuisse
arguit, cur dæmonium mutum & surdum ejicere ne-
quiverint: sed & incredulitatis [quam *ἀπιστίας*
interpretamur] discipulorum non minimam causam
facit, quod precibus & jejunio fidem auctiorem sibi
fieri non contenderint, absque quo pietatis exercitio
serio, id genus dæmonum ejici nequeat.

3. Nos igitur ad fidei majorem certificationem &
incrementum, & in primis ad divini Nominis gloriā,
nostramque & proximi utilitatem, spirituales hanc
αὐγύλας Precationis & jejunii, in S. Literis ferè copu-
latorum, paucis thesibus pertractabimus, ut pietati
litantes non tam in retributionem mercedis, quam
eius promissionis auctorem intueamur, ut patri lu-
minum omnium bonorum largitori & remuneratori
gratuito, in Iesu Christo Mediatore & Redemptore
nostro, cum quo pro nobis tradito nobis omnia grati-
ficatur, ante omnia placeamus.

4. Est igitur precatio religiosa, sive Nominis Divi-
ni invocatio, fidelis ex humili & miti animo profecta
petitio, ad solum Deum directa, de rebus ad præsen-
tem & futuram vitam necessariis, à regno Dei, tanquā
vero pietatis fundamento pendens (quod ante omni-
bus, ut & justiciam eius, quærere iubemur) est item de
acceptis

acceptis grata commemoratio, sive gratiarum actio,
per & propter Dominum nostrum Iesum Christum,
ad Dei gloriam, & nostram ac proximorum salutem,
nō per multiloquium, sed per sincerum cordis affectum
effusa, Matth. 6. 4. 7. & cap. 15. 4. 8. ut sermone tri-
tus versiculus vulgō celebratur:

Non vox, sed votum, non chordula musica, sed cor.

Non clamans, sed amans cantat in ore Dei.

5. Invocatione Nominis Divini totus Dei cultus
in Scriptura comprehendi solet Rom. 10. vers. 13.
Mich. 4. vers. 5. Quo fit ut cum omnis religiosa invo-
catio pertineat ad primam tabulam, nulli creaturæ
nec sanctis mortuis absque manifesta prævaricatione
tribui possit: ideoque nec Salutatio Angelica inter
preces cōnumerari, nec ullo colore in Pontificiorum
gratiam recitari inter precandum debet. Distingui-
tur autem invocatio iuxta obiectum accipiendorum
vel acceptorum, in petitionē & gratiarum actionem:
petitio autem comprehendit primum, quæ pertinent
ad regnum Dei: eoq; quæ immediatē spectant ad dei
gloriā: deinde præsentis & futurę vitæ utilitatē tam
nostrā quā proximī, cum Dei gloria coniunctam. De-
scribitur autē fide in Christum & propter Christum,
citra verborum multiloquium ex puro corde, eoque
miti & humili iuxta illud Matth. 11. vers. 29. *Discite à me
quod mitis sum & humilis corde & invenietis requiem anima-
bus vestris* Item *Quærte primum regnum Dei & institiamus
eius, & ista omnia adducientur vobis*, Matth. 6. vers. 33. De-
nique Io. 16. vers. 23. *Quacumque petieritis à patre meo in
nomine meo, dabit vobis.*

6. Sic enim fatigatos & oneratos omnes ad sese Christus accedere iubet: iugo eius futuro nobis facili, & onere eius levi, si spiritu mansuetudinis & humilitatis ducti per patientiam didicerimus possidere animas nostras, vera fide in ipsum recumbentes, ac exauditionis nostri certi: licet Deus quandoque eventum differat, prout ipse omnia nobis conducere unus optimè novit: cum amantibus Deum, ut pote juxta propositum eius vocatis, necesse sit omnia cedere in bonum: Spiritu & interpellante pro nobis & infirmitates nostras unâ sublevante. Rom. 8. vers. 27. 26.

7. Est hæc systatica verè precationis differentia: siquidè nisi miti fuerimus animo, placabili, & ad condonandum facili, non exaudiemur: Domino videlicet remissuro nobis, si & nos remiserimus, nec remissuro, nisi & nos remittamus Math. 6. vers. 14. Hinc D. Iacobus postquam de precatione egit in epistola sua, rectè subtextit: *Itaque fratres mei dilecti, sit omnis homo velox ad audiendum* (ut discamus videlicet ædificationem) *tardus autem ad loquendum: tardus ad iram.* Nam *ira viri iustitiam Dei non exequitur* cap. 1. vers. 19. & 20. Unde Germani, *Wer Zornig ist, der betet nicht*, iratus non orat, sed potius deierat.

8. Quod si quando in psalmis legitur imprecatio, qua hostibus excidium petitur, id fieri peculiari vaticinio sciendum est gloriæ Dei causâ: & regni eius ante omnia promovendi respectu, non privata ultionis ergò, ubi tacita semper includitur hypothesis, nisi electis Dei sint tandem convertendis: quomodo & hodie gloriæ Dei respectu & Evangelii tuendi gratia orare licet, ut vel convertantur hostes, si sint ex electorum

etorum numero, vel si pergant contra stimulos calei-
trare, à Domino extirpentur: Domino electos suos ad
ipsum clamantes diu & noctu vindicaturus cito, licet
iram super ipsis differat, donec impii impleverint mē-
suram, eo ut sint tanto magis inexcusabiles. Luc. 18.
vers. 7.

9. Rursum ex humilicorde preces proficiantur o-
portet, siquidem *Deus superbis resistit, humilibus vero dat
gratiam*, Iac. 4. vers. 6. *Et cor contritum & humiliatum
Deus non despiciet*. Pla^l. 51. vers. 19. *Quia spiritus contribu-
latus Sa crificium Deo*. ibidem. Unde facile patet, preca-
tionem Pharisei Luc. 18. vers. 11. & gratiarum actionē
fuisse non precationem, nec gratiarum actionem,
quia superbe dicit: *Deus gratias ago tibi, quod non sim ut
reliqui homines &c.* Contemnens & Publicanum percu-
tientem pectus præ se & sua extollens merita: unde
Dominus non solum pronunciat publicanum præ
Phariseo justificatum domum redisse, sed & addit,
Quicumque se extollit, deprimetur vers. 14. Itē, *Amen
dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei tanquam pu-
erulus, non intrabit in illud* ibidem vers. 17.

10. Ante omnia autem radix fidei adsit oportet ad
purgandum cor, ex qua omnes fructus spiritus veluti
stolones pullulant & succrescunt, ceu de mansuetudi-
ne & corde humili dictum est, quas virtutes patientia
ex probatione spes atq; charitas sequuntur, unde D. Ia-
cobus primo cap. vers. 6. de precatione loquens,
Postulet [inquit] homo cum fide, nihil disceptans. Deinde
cap. 3. versu ultimo non frustra adiecit, *Fructus au-
tem iustitia cum pace seritur pacificis*. Quibus D. Pauli
præ-

præscriptio consonat, qui vult, ut manus puras ad Dominum ubivis attollamus, absque ira & disceptatione 1. Tim. 2. vers. 8.

11. His addenda est tota fidei obedientia, ut desermus malum & faciamus bonum, unde Dominus apud Elaiam cap. 1. vers. 16. *Lavamini* [inquit] *mundi estote: auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse discite benefacere & c.* Et contra, *Cum extenditis manus vestras* (inquit) *avertam oculos meos a vobis: & cum multiplicaveritis orationem non exaudiam, Manus enim vestrae sanguine plena sunt* quod *אֵלֶיךָ יְיָ* de vindicta dicitur, quia veloces pedes eorū sunt ad effundendū sanguinem. vers. 15. Hinc cæcus in Evangelio, *Scimus* (inquit) *Deum peccatores non audire* (puta impœniterentes & peccato servientes) *sed si quis est Deicultor, & voluntatem eius exequitur, hunc audit* Joh. 9. vers. 31. Hinc Petrus priore tertio vers. 12. *Oculi enim Domini in iustos & aures eius in deprecationem eorum: vultus vero Domini adversum eos qui faciunt mala.*

12. Finis est gloria Dei & nostra salus cum Dei gloria conjuncta, unde Iacobus, *Petitis* [inquit] *& non accipitis eo quod male petatis, ut in voluptates vestras insumatis* cap. 4. vers. 3. Vide & versu 2. Regula autem & mensura precum est verbum revelatum & Dei præscriptum in quod fides, ut in objectum, proximè fertur, nec sibi promittit vel absolute vel cum conditione nisi illa quæ sunt in verbo promissa, quin & modum precandi indidem mutuatur, Spiritu Sancto per illud nos docente orare ut oportet, & cum præ infirmitate id nescimus, non modò sublevante infirmitates nostras, sed etiam pronobis ipsis interpellante in nobis

supplicis

suspiriis inenarrabilibus, quemadmodum ad Moſen
vel tacentem Dominus, *Quid clamas ad me?* inquit, Ex-
od. 14. verſ. 15. nimirum interpellantem in eo ſpiritu
agnolcens, ut pote qui ſcit, quis ſit ſentus ſpiritus.
Denique non niſi in Chriſto & propter Chriſtum o-
mnia à nobis petuntur, quippe in quo omnes promiſ-
ſiones ſunt ita & amen. 2. Cor. 1. verſ. 20. Unde con-
ſecit gratis nobis omnia dari, & gratis remunerari
Deum bona opera, contra furores & blaſphemias Sa-
tanæ perſuadere nitentis, Deum nihil nobis tribuere,
niſi quod ſumus promeriti de illo, qua nulla eſt peſti-
lentiſſima gratiæ divini detractio.

13. Quod ſi alicubi Sancti dicuntur intueri in præmi-
retributionem, aut petunt ſibi reddi ſecundum inno-
centiam ſuam, aut ut Deus rectè factorum ſuorum
meminiſſe velit [ut legimus de Nehemia] nō ideo fa-
ciunt, quaſi potius in mercedem, quā in gratuitā Dei
promiſſionem fide intueantur: nec ita bona opera ſua
& innocentiam prædicant, quaſi in ſolutum Deo nū-
merent, & cauſas meritorias petendorum faciant,
ſed tantum ut indices fidei ſuæ, & ſigilla divinæ grati-
æ in ſe collatæ commemorant, quo mirus iſtis dubi-
tare de Dei adiutorio liceat, quippe ſideli Domino e-
xistente, qui opera ſua coronaturus erit, ſed ex gratia,
denique ideo proferunt, ut ſynceritatem pectoris ſui
coram Deo adaperiant & conteſtentur, qui hanc gra-
tiam iſtis indidit, & propterea fide ſeſe erigunt, tan-
quam plene perſuaſi quod Deus opus digitorum ſuo-
rum non ſit deſerturus: Quò & illud pertinet, cū
Daniel Nabuchodonosorem peccata ſua redimere
Eleemoſynis jubet, non ut ſint placamenta & propi-
tiatio

riatio pro peccatis sive ἀντίλυτρον (ablit) sed ut cum humiliatum serio converti & conversionis fructus edere velit, si forte ei remittat peccata, id est si flecti sententia per eius vitæ conversionem, operibus contestatâ, forte possit, Deo reservante sibi sententiæ executionem, licet voluntas eius sit immutabilis, cum non semper dicat hominibus, quid facere constituerit, sed quid ipsi commeriti sint.

14. Definitionem hætenus per causas expendimus. Species precatationis in petendo sunt, προσευχή sive precatio propriè dicta, & δέσσις deprecatio, illic pro impetrandis bonis, hîc pro avertendis malis. Quo accedit, ἐντευξις intercessio pro aliis, & ἱκετεία supplicationes in communibus & privatis rebus, præsertim gravioribus: ἐὺλογία item & benedictiones, quibus ex altera parte ἰνχαριστία & εὐλογογία hymni, psalmi, fructus & vituli laborum confitentium nomini ipsius respondent.

15. Causæ procatacticae, quæ nos movere debent ad assiduè orandum, & quidquid agimus in nomine Dei agendum, hoc est cum invocatione, & divini nominis laude, sunt tum ex parte nostra & nostræ indigentiae & miseriae respectu, itemque proximi: tum ex rerum & periculorum magnitudine, & insidiantis Satae astu ac fastu: tum in primis Dei gloriae causa. Itaque una illa omnium est certissima & non tantum procatactica, sed etiam veluti continens causa, Dei videlicet gratiosè invitantis & repromittentis vox & mandatum, quo cultus Deo debitus & gratus à nobis præstatur, ubique in Scripturis inculcatus: adeo ut qui Deum ex corde vero & fide purgato invocare non didicerit,

didicerit, nec invocare quovis tempore possit, cum in
pietatis cursu non progredi, sed regredi sit exploratissi-
mum: unde discimus evigilare ex somno, & surgerè à
mortuis, ut illucescat nobis Christus. Ephes. 5. 14.

16. Formā precandi absolutissimo exemplari tradi-
dit nobis Dominus in oratione Dominica, tanquam
in divinissima omnium precum, psalmorum, & hym-
norum epitoma, quæ expressimam idæam pietatis, cū
eadem factis promissionibus, continet. Sex enim peti-
tionibus, præter exordium fide plenum ad patrem mi-
sericordiarum in Christo, qui Pater in cœlis, eoque o-
mnipotens, & creator dicitur, ut & velit & possit
nos juvare, præterque doxologiam, cui gratiarum a-
ctio inest, cum clausula *Amen*, omnia ea continentur,
quæ gloriam Dei immediatè & mediatè deinde nostrā
salutem tam quoad præsentem quam quoad futuram
vitam concernunt.

17. Tribus prioribus continetur expressa pietatis i-
dæa in sanctificatione Divini Nominis, adventu eius
regni, præstatione voluntatis eius sicut in cœlo & in
terra, quibus gloria Dei immediatè per se & ante o-
mnia quæritur, juxta dictum *Quærite ante omnia regnum
Dei & iustitiam eius & omnia ista adicientur vobis*. Per
Sanctificationem autem nominis divini intelligimus
Dei veram ex verbo cognitionem, & ab omnibus fal-
sis diis sequestrationem, ad quem tanquā ad summum
finem omnia sint nobis referenda, quippe à quo
sunt omnia. Itaque honor filialis, quem debemus
ter optimo parenti, ab ipso petitur, ut ubique ab

omnibus ei tribuatur, contra furores & blasphemias
Satanæ Dei nomen, hoc est, veritatem, iustitiā & mise-
ricordiam propter nos blasphemantis.

18. Altera petitio continet adventum regni Dei,
puta gratiæ primum, & deinde gloriæ, quo tanquam
medio omnis sanctificandi Divini nominis materia
nobis subministratur, per verbum & spiritum Christi,
donec id impleatur in altera vita, cum tradiderit re-
gnum Deo & patri cōsummatum. Tertia petitio præ-
stationem divinæ voluntatis ambit, ut in regno eius
ut filii ei dicto audientes simus, idque simili petito ab
Ecclesia triumphante in cœlis, ad Ecclesiam militan-
tem in terris, ut ad perfectionem anhelemus, nec so-
lum spiritu prompti simus, sed etiam carnem subju-
gemus, ne subinde per novos contra cōscientiam lap-
sus, gratiam Dei [quātum in nobis est] extinguamus
sed in stadio cœlestis vitæ constanter & inoffenso cur-
su pergamus usq; ad diē Christi. Exhibetur igitur hac
tertia petitione viva forma, qua media illa regni Dei
ad debitum finem sanctificationis nominis divini re-
ctè & juxta divinam voluntatem dirigantur, cui nos
in vita & morte subicere æquissimum est, ut in vera
patientia & obedientia fidei possideamus animas no-
stras. His igitur tribus prioribus petitionibus quæ glo-
riam Dei immediatè attingunt & in quibus expressa
pietatis idra cernitur, absolvuntur.

19. Sequuntur promissiones præsentis & futuræ vi-
tæ tribus posterioribus petitionibus, gloriæ Dei sub-
nexus comprehensæ, ut si tres priores ex animo quæsi-
turus, non possimus non posteriorum esse certi, qua-
tenus cum prioribus conveniunt. Ac primum quoad
præsentem

presentem vitam petitione quarta petere iubemur,
panem nostrum quotidianum, id est nobis necessariū in-
dies, siue qui in diem ad substantiam nostram refici-
endam sufficiat. Est autem non solum externus panis,
victus & amictus, letitia & sanitas, tuitio & fructio vi-
tæ: sed & omne verbum, quod prodit ex ore Dei, sine
quo ne ad momentum subsistere possemus. *ipse enim*
dat cælis pluvias & tempora fructifera, implens cibo &
letitia corda nostra. Act. 14. v. 17. *ipse dat omnibus vitam &*
omnia in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus. Act. 17
vers. 28. Deinde est & panis vitæ ipse met. Dominus
noster Iesus Christus per comparationē panis terreni
subintellectus, quippe nos pascens in hac vita vero su-
o corpore pro nobis fracto in remissionē peccatorum
idque per spiritum vi verbi promissionis Sacramento-
rum sigillis obsignati, ut inde iugiter sustentemur, do-
nec in altera vita id consummabitur. Hūc n. Christus
respiciens Lc. 6. vers. 27. à cibo corporeo pereunte
ad cibum eum nos revocat, qui non perit, quem fide
operari debemus, hoc est, huius nobis applicare.

20. Ad futuram verò vitam propriè pertinet Pro-
missio remissionis peccatorum, cum conditione ut &
nos remittamus peccantibus in nos: ad iuncta arden-
ti deprecatione, *ne nos inferat in tentationem, sed*
liberet a maligno, videlicet tentatore. Petimus itaque
eam remissionem culpæ, quæ sit coniuncta cum remis-
sione pænæ, ut gratiam eius agnoscamus, nobisque
suppliciter expetamus, ne simus tentationis igni sub-
jiciendi, maxime autem ne nos tradat desiderio no-
stro peccatrici, juxta demerita nostra, quippe cum iu-
stissime quādoque peccata peccatis puniat, & ad tem-

pus inde Satanæ ictibus subiciat: sed contra ut me-
mor fragilitatis nostræ, in quantum sumus miseri pec-
catores, & peccato infecti & inde morti obnoxii, ab
hac dura servitute & ab omnibus Satanæ insidiis [co-
ram Deo & hominibus nos accusantis] ex mera sua
gratia paternè exsolvat, & plenè tandem liberet. Quo
nomine doxologias gratia adicimus, *Quia tuum est re-
gnum*, nō Diaboli videlicet, quippe pretioso sanguine
filii Dei acquisitum: *tua est potentia*, hæc præstandi &
efficiendi: *tua est gloria*, cuius respectu hæc omnia à Pa-
tre luminum potentes in Christo & Christum, vera
plerophoria animi dicimus: *Amen.*

21. Utilitas precum multiplex est, inprimis ut in
Deo pacem habentes, possideamus in silentio perpa-
tientiam & spem animas nostras, certi quod propter
Christum exaudiamur. Deinde ut cum Deo magis ac
magis uniamur, ipsi per fidele animæ alloquium ap-
propinquantes, ut nobis appropinquet, & reliqua in
oratione Dominica contenta. *Multum enim valet de-
precatio iusti efficax, ut testatur Iacobus, cap. 5. vers. 16.*

22. Quo igitur major sit efficacia precum, quoque
penetrantius cælum. perforent, Christianum jejuni-
um veluti comitem & vehiculum eis Scriptura adjun-
git: non jam universale & continuū illud tantum, quo
in tota vita & sobrii esse & vigilare iubemur 1. Pet. 5. v.
8. vel cum à Deo extraordinariè punimur fame, quo-
nomine ad illum clamare, hoc est orare & sperare de-
bemus, psal. 145. Sed cum iustis de causis privatim pu-
blicève indicimus nobis abstinentiam cibi & potus
vel in totū, vel ex parte, quoad cibū desiderabilē, exē-
plo Danielis cap. 10. v. 2 & 3. cū intermissione etiā utus

con-

conjugalis ex consensu ad tempus, ut jejunio & precibus vacemus 1. Cor. 7. v. 5. vel propter instantes necessitates publicas privatasve: vel carnis edomande causa, ut corpus contudentes in servitutem Spiritus redigamus exemplo Apostoli: vel denique ut gratiam Dei, & dona Spiritus pro ratione officii solici-
tius ambiamus: sic tamen ut vires & facultates nostras non excedamus, quo nomine Apostolus jubet Timotheum non amplius abstemium esse, sed uti vino paululo, idque propter imbecillitatem stomachi eius & crebras infirmitates 1. Tim. 5. v. 23. Denique omnia ex Lege charitatis sunt hinc metienda.

23. Continetur his, quidquid ad legitimū ferē jejunium summam pertinet, exemplis Sanctorū veteris & Novi Testamenti comprobatū, licet ceremoniis quo ad pædagogia pertinentibus differant, quales sunt scissiones vestium, saccus & cineres, quorum metaphorica fit mentio in Novo fœdere, ut q. duo testes Christi i. e. doctores & pastores Ecclesiæ dicuntur amicti saccis, propter pœnitentiam, ne quis hinc Monachorū κακοζήλιαν stabiliti putet, ut nec reliqua secundum literam sunt intelligenda, sed secundum Spiritū, quæ de operibus miraculosis Helix & Moysis metaphorice eisdem attribuuntur. Apoc. 11. v. 3. & deinceps.

24. De publicis jejniis, *Aderunt dies* inquit Dominus *in quibus tolletur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt illis diebus.* Mat. 2. v. 20. Sic Lucas in sepe ratione Pauli & Barnabæ ad opus Spiritus sancti, ad q. vocabant, de Antiochenæ Ecclesiæ Prophetis & Doctorib. ait: *Tunc cū iejunassent, & precati essent & imposuissent eis manus, dimiserunt eos.*

A&

Act. 13. vers. 3. De privato verò jejunio, licet in publico loco instituto, illustre est exemplum Annę prophetidis filiæ Phanuel ex tribu Aser viduę in novo Testamento, quę licet in multam processisset ætatem, quasi annorũ octoginta quatuor, *non tamen abcedebat à templo, Ieiuniis & precibus serviens Deo noctem & diem.* Luc. 2. v. 37. Plura vide psal. 35. 1. Sam. 7. 1. Reg. 21. Ioel, 1. 10. na. 3. Num. 30. 2. sam. 12. &c.

25. Pugnat cum jejuniò verè Christiano, extraordinarii Ieiunii miraculosi Christi & Helię prava imitatio, quoad Quadragesimale Ieiunium Pontificium: angarię item & feria quinta, tum quia necessitate & coactione conscientias obstringunt, tum quia ad certos dies alligant, denique superstitioso ciborum delectu hos verant, illos admittunt sub captivatione conscientię, quę est doctrina demoniorum, teste Apostolo 1. Tim. 4. vers. 3. Postremo opimo cultus & fiducia operis meritorii & siqua sunt alia Pharisaicum fermentum redolentia, procul hinc sunt amovenda.

26. Concludimus igitur Ieiunium esse adminiculũ pietatis, vehiculum & comitẽ precationis, nõ quòd operis ipsius per se facta præstatio benevolentiam Dei nobis conciliet, sed quòd in fidei & precum exercitiis nobis adiumento sit, quòd ad orandum & gratiam Dei ardentius ambiendam reddamur animo promptiores & viribus alacriores, in verã pœnitentia, fide, invocatione & seria vitę eternę meditatione ac Scripturarum lectione, omnem Ieiunii usum ponentes & consumentes: alioquin si alio fine Ieiunaverimus mercedẽ cũ Phariseis iam pridem reportaturi, Mat. 6. v. 5.

FINIS.



the scale towards document

8
mpus, ut jejuniis & pre-
el propter instantes ne-
e: vel carnis edomande
tes in servientem Spiri-
toli: vel denique ut gra-
ro ratione officii solici-
ires & facultates nostras
Apostolus jubet Timo-
melle, sed uti vino pau-
ratem stomachi eius &
23. Denique omnia ex-
enda.

dad legitimū ferè jeju-
exemplis Sanctorū ve-
probatū, licet ceremo-
entibus differant, qua-
cus & cineres, quorum
vo fœdere, ut q. duo te-
tores Ecclesiæ dicuntur
ntiam, ne quis hîc Mo-
er, ut nec reliqua secun-
sed secundum Spiritū,
deliæ & Moïsis metapho-
oc. 11. v. 3. & deinceps.

runt dies [inquit Domi-
unc jejunabunt illis diebus.
tione Pauli & Barnabæ
ocabāt, de Antiochenz
b. ait: Tunc cū jejunassent,
is manus, dimiserunt eos.

A&